De origine exemplorum, quae ex Ciceronis scriptis a Charisio, Diomede, Arusiano Messio, Prisciano Caesariensi, aliis grammaticis Latinis allata sunt.

Scripsit

Dr. Hermann Karbaum,

Gymnasiallehrer.

Wissenschaftliche Beilage

zum Programm

des Gräflich Stolberg'schen Gymnasiums zu Wernigerode.

WERNIGERODE,

DRUCK VON B. ANGERSTEIN.

1889. Progr. Nr. 243. **1889.**

qwe 17 (1889)

1270, 24b

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De origine exemplorum, quae ex Ciceronis scriptis a Charisio, Diomede, Arusiano Messio, Prisciano Caesariensi, aliis grammaticis Latinis allata sunt.

Cum anno 1882 ab amplissimo philosophorum ordine universitatis Halensis haec quaestio philologica proposita esset „Quaeratur de locis ex Ciceronis libris a grammaticis Latinis citatis et quos quisque libros usurpaverit et quid testimonia grammaticorum ad constituendam lectionem conferant explicetur," ad quaestionem eam absolvendam accedebam. Sed et copia rerum et temporum inopia multa, accuratiore tractatione certe digna, in posterum differre coactus fui. — Iam nonnulla, caput quartum, — in quattuor enim capita disputationem tum distribueram — aucta et accuratius pertractata in dissertatione „De auctoritate ac fide grammaticorum Latinorum in constituenda lectione Ciceronis orationum in Verrem" protuli. Sed multa restant. Qua de causa „de grammaticorum fontibus," quam rem in tertia paragrapho tertii capitis commentationis supra commemoratae iam tractavi, multo copiosius disserere nunc instituam. Quod eo magis mihi placet, quia nuperrimis temporibus, grammaticorum libros perlustrans, argumenta repperi, quibus haec gravissima paragraphus clarius illustretur, ut nonnullas quaestiones, antea levissime tactas, paene solutas et ad finem productas esse mihi videar.

Hac autem ratione quaestionem illam institui, ut totam rem dividerem in tria capita haec:

Cap. I. Exempla, quae grammatici ex antiquioribus fontibus repetita esse suis verbis profitentur.

Cap. II. Exempla, quae coniectura ad veterum grammaticorum studia velut Probi Berytii, Plinii Secundi, Iulii Romani, Flavii Capri, aliorum minoris pretii referri possunt.

§ 1 apud Priscianum.

§ 2 apud Charisium et Diomedem.

Cap. III. De ratione, quae inter Priscianum et Arusianum Messium exstat, et de fontibus utriusque eorum.

Quaerimus igitur, quibus ex fontibus haec exempla, quae grammatici recentiores ex Ciceronis scriptis afferunt, repetita sint. Est autem horum recentiorum aetas inde ab Hadriano imperante usque ad illa tempora, quibus primo cum vetere doctrina nova barbaries consociari et misceri coepta est, ut Priscianus postremus eorum evadat. Qui grammaticam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

totam disciplinam, bene structam et compositam a vetustissimis auctoribus, denuo profert; cadente saeculo sexto, Prisciano mortuo, grammaticae studia in barbariae caliginem plane decidunt. Nec vero omnium eorum recentiorum artes grammaticae in propriis studiis positae sunt, nec eo spectant, quo vetustissimorum, Varronis, Nigidii Figuli, Verrii Flacci, Iulii Hygini, Q. Remmii Palaemonis, Probi Berytii, C. Plinii Secundi, Velii Longi, Flavii Capri, (cf. Quint. inst. orat. I. 1; II. 1. Suet. de ill. gramm. 2; 4), sed placuit illis scrinia veterum grammaticorum compilare. Quae antiquiores grammatici antea statuerunt, ea colligunt, multa saepius omittunt, perpauca addunt, illius aetatis more praecepta veterum grammatica ad usum scholarum accommodantes. Nec tamen omnes ad genuinos illos fontes redeunt, sed doctrina veterum grammaticorum libris a quibusdam deprompta, per manus traditur, alius ab alio eam petit.

Cap. I. Iam vero haud ita pauca exempla, quae grammatici recentiorum temporum citant, ex vetustissimis artis grammaticae libris una cum praeceptis grammaticis hausta esse interdum ipsi profitentur. Conferantur loci, ubi Charisius se Remmii Palaemonis[1]) doctrinam in arte componenda adhibuisse ipse affirmat: Gramm. Lat. ed. Keil, vol. I Charis. p. 225, 5—229, 2 „Palaemon autem ita definit.“ p. 231, 1—236, 15 „De praepositionibus Palaemon ita definit.“ p. 238, 23—25 „Palaemon ita definit.“

Invenitur autem Palaemonis doctrina una cum exemplis etiam apud Diomedem; nec enim Diomedem usurpasse Charisium aut vice versa Charisium Diomedem nisi perpaucis locis, subtiliter iamdudum demonstravit Keilius.[2]) Haec autem exempla Tulliana ad communem illum fontem Palaemonianum referri possunt, quamvis Diomedes auctorem nusquam appellaverit nisi vol. I. p. 415, 16 „Palaemon eam ita definit.“ Char. p. 226, 20 in Cat. I. 10, 27. Diom. p. 392, 11. Char. 226, 24 in Cat. I. 11, 29. Diom. 392, 16. Char. 226, 30 in Cat. II 6, 13. Diom. 392, 22. Char. 227, 3 in Cat. I 3, 6. Diom. 392, 28. Char. 227. 8 pro Mil. 13, 35. Diom. 393, 6. Char. 227, 31 pro Mil. 24, 64. Diom. 394, 2. Char. 228, 17 in Cat. II 3, 6. Diom. 394, 22. Char. 228, 32 in Cat. IV 10, 21. Diom. 395, 7. Char 228, 20 pro Rosc. Am. 18, 50. Diom. 394, 25. Char. 189, 2 idem exemplum ap. Diom. 404, 18 cf. Dosith. vol. VII. 421, 16 Cic. pro Rosc. 18, 50. — Praeterea haec testimonia apud Diomedem certe ad eandem originem pertinent, quae Charisius (cf. vol. I. p. 227, 19) de eadem re disserens interdum non citavit: Diom. 393, 18. Cic. in Cat. II. 6, 13. cf. Char. 227, 20. Diom. 393, 22. Cic. pro Rosc. 1, 1. Diom. 393, 23. Cic. pro Rosc. 34, 97.

Apud eundem Charisium revocanda sunt ad Romanum vel ad Caprum, quem Romanus adhibuit, vel ad Probum et Plinium, quibus usus est Caper, multa exempla Tulliana. Quae ex Ciceronis scriptis citata vides in Charisii libri primi capite „de analogia,“ quod ex Romano[3]) se hausisse grammaticus ipse pronuntiat verbis „De analogia, ut ait Romanus.“ Char. 117, 16. Cic. de natura deorum libro III; Char. 122, 22. Cic. de auguriis; Char. 124, 12. Cic. Tusculanarum libro II.; Char. 128, 28. Cic. de oratore libro II. (II 69, 278); cf. v. 30, ubi Plinius laudatur. Char. 129, 8 fretu Cicero „a Gaditano inquit fretu“ cf. v. 6, ubi Plinius laudatur. Char. 130, 7 Cic. in Pisonem (18, 42). Char. 130, 16. Cicero quoque de divinatione lib. I. Char. 130, 20 Forte, ab hoc Forte Tullio oratore. Char. 133, 9 Cicero de gloria II. Char. 137, 4. Cic. de deor. nat. libro II. cf. v. 5, ubi Plinius laudatur. Char. 137, 27. Maioreis Cicero, ut Plinius eodem libro notat. Char. 138, 10. Itaque Cicero rationis memor ‚parentium‘ saepe dicit cf. v. 12 „ut ait Plinius.“ Char. 138, 13 „Nobile, Cic. de iure civili . . . . . id etiam Plinio conserente.“ Char. 139, 11. „Cicero tamen, inquit Plinius, de auguriis et hic oscinis dixit“ cf. Char. 105, 4. Char. 139, 17. Cicero de republica libro V; in v. 19 „et frequenter antiquos ita locutos esse Plinius eodem libro VI. notat.“ Char. 141. 32. Itaque Cicero pro Gallio poematorum et in Oratore

---

[1]) Iniuria Keilii sententia (cf. gramm. Lat. vol. I praef. XLIX), qui statuit Charisium veteris Palaemonis scripta adhibuisse, a Schottmüllero („De Plinii libris grammaticis, particula prima“ diss. Bonn. 1858 p. 26—32) in dubium vocata est. Recte Keilio fere omnes recentiores viri docti, si universum spectas, assentiuntur cf. W. Christ: Philolog. vol. XVIII p. 125—127; Morawsky: Hermes vol. XI p. 357; Fr. Schoell: Mus. Rhen. N. S. vol. XXXIV p. 630.

[2]) Cf. vol. I gramm. Lat. praef. p. L. sq. [3]) cf. Char. 116, 29—147, 16, vol. I praef. p. XLV.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

poematis dixit. Char. 142, 7 quamvis Cicero requietem dixisse memoretur cf. Char. 110, 2 quamvis Cicero dixerit requietem ad Hostilium. Char. 143, 14. Cicero quoque [de] divinatione in Verrem (5, 19) et pro Oppio II „senati.“ Char. 146, 28. Cicero de finibus bonorum et malorum cf. v. 30 „ut idem ait Plinius.“ Char. 146, 31. Vectigaliorum Cic. ad Atticum. Char. 147, 11 Cicero in Pisonem.

Char. 190, 8 — 224, 22 G. Iulius Romanus ita refert de adverbio sub titulo ‚ἀγορῶν.‘ Char. 192, 23. Cicero tamen ad Atticum libro VIII. Char. 192, 24. Cicero ad eundem Atticum. Char. 195, 27. M. Tullius de oratore * ad Quintum fratrem. Char. 198, 2. Cicero Tusculanarum II (II 8, 20). Char. 198, 28. Cicero de senectute (1, 3). Char. 198, 30 Cicero de senectute (12, 39). Char. 199, 1. Cicero de optimo genere oratorum (2, 4). Char. 199, 6. Cicero de optimo genere oratorum (4, 10). Char. 199, 8. Idem in Bruto (8, 35), „ut etiam Flavius Caper refert.“ Saepius Caper in hac parte laudatur cf. Char. 118, 1; 132, 6; 145, 20; 145, 23; 195, 4; 195, 19; 194, 31; 207, 31. Char. 199, 25. Cicero ad Atticum cf. Char. 192, 24. Char. 200, 11. Cicero quoque Tusculanarum II (5, 15). Char. 203, 7 M. Tullius Tusculanarum II. (23, 35). Char. 203, 30 Cicero pro Sexto Roscio (1, 3). Char. 204, 10 Cicero Tusculanarum II (20, 64). Char. 205, 25 Cicero in Laelio vel de amicitia (1, 1) cf. Char. 234, 24. Char. 206, 4 Cicero pro Sexto Roscio (1, 2). Char. 206, 11 Tullius de senectute (1, 2). Char. 206, 17 Cicero Tusculanarum II (21, 48). Char. 206, 19 Cicero Tusculanarum II (19, 44). Char. 207, 20 Cicero vero Philippicarum (V 1, 3). Char. 208, 14 Cicero de senectute (12, 42). Char. 208, 15 idem in commentario de virtutibus. Char. 208, 17 Cicero de senectute (3, 8). Char. 211, 24 Cicero Tusculanarum II (5, 14). Char. 211, 29 Cicero quoque „plure venit“ cf. Char. 109, 10. Char. 215, 9 Cicero de senectute (7, 22). Char. 215, 13 idem in eodem (15, 51). Char. 215, 17 Tullius Tusculanarum II (II 22, 53). Char. 216, 19 Cicero Tusculanarum II (23, 56). Char. 218, 8 Cic. in Verrem act. II (II 17, 42). Char. 220, 17 Cicero Tusculanarum II (20, 46). Char. 221, 18 Cicero de senectute (14, 46). Char. 222, 8 Cicero Tusculanarum II (27, 65). Char. 222, 9 Cicero Tusculanarum II (9, 22). Char. 223, 31 Tullius Tusculanarum II (20, 46). Char. 224, 6 Cicero de senectute (16, 57). Char. 224, 8 Cicero de senectute (8, 25). Char. 224, 10 Cicero de senectute (4, 11) cf. C. F. Hermann, Mus. rhen. noviss. II p. 573. Char. 224, 13 Cicero pro Scauro.

Copiam exemplorum Tullianorum a Charisio ex Romani thesauris delibatam esse modo intelleximus. Tamen cavendum est, ne inde efficiamus, id quod primo obtutu colligi videtur, Romanum haec exempla ipsum ex Ciceronis libris repetisse, ut etiam arbitratur v. d. Neumann.[1]) Nam constat Romanum veteres grammaticos tanquam duces secutum esse Caprum, Plinium, Probum. Qua de causa valde dubium est, quid Romano ipsi, quid illis tribuendum sit. Neumannus vero, quod dicit, exempla e Tullianis et ex libro de senectute citata a Romano ex libris ipsis exscripta esse, quia „non pauca verba, sed continui loci proponantur,“ his verbis fere nihil demonstrat. Quasi veteres grammatici, quorum vestigia premit Romanus non eodem iure ac Romanus ipse compluria exempla copiosiora ex uno vel duobus scriptis excerpere potuerint, quae exempla postea a posteris in libros grammaticos translata sunt! Huic Neumanni sententiae obstant Palaemon, quem multa exempla amplioris verborum copiae ex certis scriptoribus deprompsisse supra vidimus cf. p. 2 huius comment., ubi seriem exemplorum ex Ciceronis scriptis in Catilinam et pro Rosc. Am. citatam conspicimus. Deinde Probus et Plinius, ex quorum artibus grammaticis innumerabilia exempla Priscianus deprompsit; denique in hac ipsa parte Romano attributa nobis exempla occurrunt, quae certissime Capro ascribuntur, nam Capri nomen appositum est cf. Char. I p. 199, 6; 8; 9: „ut etiam Caper refert,“ haec autem exempla ex Capri thesauris deprompta esse elucet ex locis, quibus similia additamenta apposita sunt cf. Char. 213, 13 pudenter Cicero, ut etiam Maximus notat. p. 212, 16 placate Cicero, ut Maximus quoque notat; quae exempla, quin ex Statilii Maximi libris exscripta sint, nemo dubitabit. Haec autem exempla summa verborum ubertate sunt, accuratis titulis appositis, tam similia denique exemplis, quae

[1]) Neumann: De Plinii dubii sermonis libris Charisii et Prisciani fontibus. Kiliae 1881, p. 13.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tribuit Neumannus Romano, ut iure concludi possit, omnia ea exempla ex Capri thesauris fluxisse, quibus usus est Romanus. Hac nimirum ratione usus Neumannus etiam alia exempla cum ex aliis scriptoribus tum ex Cicerone ad Romanum tamquam genuinum fontem referre potuit. — In reliquis vero partibus, quae apud Charisium (cf. vol. I praef. p. XLV.) Romano, nomine ascripto, haud dubie tribuuntur, nullum exemplum ex Cicerone repetitum invenire potui.

Pergamus exempla, quae tradiderunt posteriores grammatici ex libris Ciceronis, in medium proferre, atque investigemus, quos ad fontes ea referri possint; nam in universum multas atque iucundas coniecturas et quae probabilitate non careant ex his testimoniis facere licebit. — Referri possunt apud Charisium ad Statilium Maximum[1]) haec Tulliana: Char. p. 196, 4 „ubi Statilius Maximus ordine, inquit, et sine intermissione" (Cic. de invent. II 12, 42. Philipp V 12, 31 cf. adn. ad h. l.) Char. p. 209, 4 Ostiatim vicatim Cicero, quod Statilius Maximus notat (in Verr. act. II lib. IV 22, 48 et 24, 53 vicatim pro Sest. 15, 34). Char. p. 212, 16 Placate Cicero, ut Maximus quoque notat (ad fam. VI 1, 4). Char. p. 213, 13 Pudenter Cicero, ut etiam Maximus notat. Char. 214, 17 Pariter pro pariliter Cicero, ut Maximus notat. Char. 217, 3 Repentino pro repente Cicero, ut Statilius Maximus notat (pro Quint. 4, 14). Char. 217, 8 Rare Cicero pro raro, ut idem Maximus notat. Char. 218, 28 Salutariter Cicero, ut idem Maximus notat, quasi salubriter (Brut. 2, 8). Char. 219, 24 Singularie pro singulariter, quasi unice Cicero, ut Maximus notat. Char. 219, 25 Stirpitus Cicero, quod apud eum idem Maximus semel positum notat (Tusc. disp. IV 38, 83). Cum autem in his omnibus exemplis ex Charisii institutionibus grammaticae allatis inveniantur adverbia et vol. I p. 194, 11 et 218, 6 scriptum videamus „licet Statilius Maximus de singularibus apud Ciceronem quoque positis saepenumero notet" „Stomachose Cicero, ut Statilius Maximus de singularibus apud eum quoque positis notat" haud dubie colligi potest, Statilium ex Ciceronis libris adverbiorum silvam collegisse fortasse in lexici formam redactam.

Cap. II. Multa igitur exempla, quae Charisius et Diomedes laudant, vetustiorum grammaticorum doctrinam sapere modo cognovimus. Nunc autem altera quaestio exstat: „Fierine potest, ut etiam apud alios grammaticos, qui rarissime vel omnino non auctores nominatim afferunt, exempla Tulliana ad fontes referantur?"

Haec autem quaestio difficillima et summa gravitate est. Nam cum ex his exemplis ad antiquos fontes relatis intellegitur, quantum et quale fuerit Ciceronis studium in vetustissimis grammaticis scholis, de quo aliis temporibus planius agere in animo habeo, tum summi momenti est, exempla ad veteres auctores referre, utpote quibus fere meliores et minus corrupti codices in manibus fuerint quam recentioribus grammaticis. Illis antiquis denique grammaticis ex puriore fonte exempla Tulliana haurire licuisse quam nobis hac nostra aetate, vix opus est diserte commemorare. Apparet igitur exempla ad illam originem revocata fidem aliquanto antiquioris aetatis habere et saepissime maioris praestantiae speciem prae se ferre quam ea exempla, quae recentiores grammatici ex libris suae aetatis addiderunt; unde fit, ut illa multo plus valeant ad Ciceronis textum constituendum.

Sed cum fieri non possit, ut ad omnium fontes indagandos uno tempore propius accedamus, ad Priscianum eiusque auctores eruendos mentes convertamus; atque id imprimis propterea, quod ille cum uberrimam regularum copiam attulit tum maximam exemplorum silvam ex antiquis scriptoribus collegit; deinde quod in illius fontibus perscrutandis etiam ceteros fere omnes grammaticos eorumque auctores attingamus necesse est.[2])

---

[1]) Stat. Max. secundo saeculo floruit, qui Ciceronis orationes emendavit, codicibus spectatae fidei adiutus cf. O. Jahn: Berichte der sächs. Gesellsch. „Ueber die Subscriptionen in den Handschriften röm. Classiker." Theod. Bergk: Zeitschr. für Alterthumswissensch. 1845, p. 116. Graefenhan: Geschichte der Philolog. IV p. 234.

[2]) Praeclare operam dedit nuperrimo tempore Prisciani fontibus indagandis Neumannus l. l. p. 36 sqq. Sed Neumanni disputatio minus versatur in exemplorum Ciceronis origine inquirenda quam in universis rebus grammaticis. Multa subtiliter attulit Keilius diversis locis corporis grammaticorum, nonnulla subinde Hertzius. Alia suis locis commemorabuntur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Primum autem non solum Tullianorum exemplorum ratio habenda est, sed omnium auctorum, quos laudaverunt grammatici, quandoquidem horum fontibus repertis melius ac facilius diiudicare possumus, quibus ex fontibus derivata sint testimonia ex Cicerone laudata. Huius enim scriptoris exemplorum fontes plerumque occultantur, aliorum autem auctorum fontes in propatulo saepissime exstant. — Haec praemittenda mihi visa sunt, ut insequentia melius intellegantur.

Ac plerumque Priscianus exempla deprompsisse videtur ex Capro grammatico, quem duos libros grammaticos scripsisse scimus: librum „enucleati sermonis" seu „de Latinitate seu de lingua Latina" et librum „de dubiis generibus vel dubii generis." Commemoratur autem Caper a Prisciano fere triginta locis atque imprimis in libris institutionum V—X, nusquam, ni fallor, in libris XVII et XVIII. Illos vero Capri libros abundasse exemplis, quae ex vetustissimorum auctorum scriptis sumpta erant, satis superque ex ipsius Prisciani verbis elucet. Is enim dicit: in vol. II p. 212, 5 teste Capro, apud quem exempla invenis, p. 129, 7 testis eius Caper, qui diversorum de huiuscemodi nominibus posuit usus auctorum. p. 204, 6 Caper tamen et cepicius et cepicium veteres dixisse ostendit. p. 390, 26 Vetustissimi autem multa sic protulerunt confusa terminatione teste Capro. p. 393, 13 quorum auctores apud Caprum legant, qui eos scire desiderant. p. 561, 9 Sciendum tamen, quod haec omnia inveniuntur perfectorum declinationem habentia in usu veterum teste Capro.

Praeterea idem suspicari licet ex illis locis, ubi Capri nomen cum aliis grammaticis consociatum affertur velut in Prisc. instit. lib. V p. 171, 14 „Supra dictorum tamen nominum usus et apud Caprum et apud Probum de dubiis generibus invenis;" in lib. VIII 393, 8 „Sed et eorum et superiorum omnium usus tam apud Caprum quam Plinium et Probum invenies"; aliis locis velut vol. II p. 490, 8; p. 513, 7, quos mitto. Ad hanc rem explicandam praeterea testimonia aliorum grammaticorum spectant, quae subinde in unum colligo: Char. vol. I p. 145, 20. „Itaque dixisse veteres Caper his exemplis docet." Char. I 145, 23 „Testu ut genu Fl. Caper veteres ait uti solitos." Char. I 194, 31; Char. 195, 4; Char. 195, 19; Char. 199, 10. Sergii vel Servii explanat. in Donat. lib. I, vol. IV p. 496, 8; Pompei comment. V 154, 10 „Quamquam et hoc piissimus vituperavit Cicero in Philippicis: dicit ‚non potest piissimus dici per rerum naturam;" insultabat Antonio, ‚tu' ait, ‚utere semper hoc verbo piissimus;' tamen Caper, ille magister Augusti Caesaris elaboravit vehementissime et de epistulis Ciceronis collegit haec verba, ubi dixerat ipse Cicero piissimus." Pomp. comment. vol. V p. 187, 10; 243, 21. Excerpta ex comment. in Donat. V p. 327, 15; Rufini comment. in metr. Terent. vol. VI p. 565, 5; VI 556, 20.

Quibus prolatis, cum quaerimus, quae exempla ex magna illa copia in libris Prisciani ad Caprum spectent, nonnulla aperte ad illius doctrinam referri possunt cf. Prisc. II 212, 15 „quod Caper ostendit de dubiis generibus, Verrium Flaccum posuisse ‚allecem hanc' dicens. Pris. II 188, 22 Caper, doctissimus antiquitatis perscrutator, ostendit hoc usum Catullum et Plautum." Prisc. II 96, 2 Plautus in Captivis, Livius in Odyssea. Antecedunt uno versu ante duo exempla Ciceronis: Cic. ad Herennium libro V; Cicero in tertio ad Herennium; sequitur in v. 17 p. 96 Cicero in II ad Herennium cf. Prisc. 97, 7, ubi Caper iterum laudatur. — Prisc. II 354, 9 Caecilius in epiclero. Prope exstant haec exempla ex Cicerone laudata vol. II p. 354, 21 Cic. pro Ligario; p. 355, 9 Cicero de suppliciis; p. 355, 17 Cicero ad Herennium in III. — Prisc. II 535, 1 Luc. sat XIV „Caper . . . et profert exemplum Lucilii." Antecedunt p. 534, 14 Cic. in frumentaria et p. 534, 24 Cicero pro Roscio. — Propriis autem verbis sub nomine Capri nullum exemplum Tullianum apud Priscianum laudatum reperitur, nisi unum quod una cum aliis verbis M. Hertzius uncis rotundis inclusit[1]) cf. Prisc. v. II p. 530, 18. Nec minus mirum est, quod in Capri duo-

[1]) Haec verba Hertzio auctore melius Theodoro, Prisciani discipulo, tribuuntur. cf. Hertzii praef. v. II p. XXVIII; cf. p. XXIX: „fortasse inter describendum alia ex iis, quae per scholas a Prisciano habitas notando olim consecutus erat, addidit Theodorus." — Cum autem idem exemplum Tullianum ad verbum obviam it ap. Prisc. II p. 544, 26, illud exemplum a Prisciano ex eodem fonte Capriano, quamvis Capri nomen non appositum sit, depromptum esse manifestum est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bus libris, qui titulis de orthographia et de verbis dubiis inscripti (cf. vol. vol. VII p. 2 — 112) nobis traditi sunt, unum exemplum Tullianum invenitur. Sed reputes, hos libros Capri nomine praeditos nihil nisi excerptorum farraginem vel epitomen habendos esse, ut qui nihil nisi umbram quandam vetustioris doctrinae illius grammatici in se habeant, nimis decurtati et commutati recentiorum studiis. Ut unum luculentissimum exemplum proferam, Priscianus (cf. vol. II 212, 5) se exempla in Capri libro oculis vidisse, affirmat „apud quem exempla invenis.“ Sed inspice vol. VII p. 95, 14, ubi Caper de iisdem rebus grammaticis disserit ac Priscianus: ne unum quidem exemplum reperies. Illud autem exemplum Tullianum, quod unum exstat apud Caprum (vol. VII p. 109, 6) „nam et ‚deabus‘ Cicero dixit“ accuratiore titulo instructum, uberioribus verbis invenimus apud Prisc. II p. 294, 3 Cicero pro Cornelio I. Quod exemplum in libro VII Prisciani affertur, ubi Caprum persaepe ad partes vocatum esse postea videbimus. — Iam apud alios grammaticos haec Tulliana sub ipsius Capri nomine citata sunt. Char. I 199, 6 Elate Cicero de optimo genere oratorum; I 199, 8 Idem in Bruto . . . . . ut etiam Fl. Caper refert. p. 3 huius comment. Pomp. vol. V 154, 15, id quod supra in p. 5 protuli. —

Perpauca igitur exempla expressis verbis ad Caprum referri possunt; sed contendo multa Tulliana cum apud omnes fere grammaticos tum apud Priscianum fluxisse ex Capri thesauris. Nam ut Priscianus — atque id pertinet etiam ad alios grammaticos — ex Capro non solum eas res grammaticas mutuatus est, quibus auctoris Capri nomen appositum est, sed etiam alia multa, quae prope eum locum exstant, ubi Caper laudatur, sic ad Caprum etiam ea exempla probabiliter redeunt, quae antecedunt et sequuntur eum locum, quo Capri auctoritatis mentio fit; id quod aliis grammaticis vel aliis eiusdem grammatici locis collatis clarissime patet, ut hunc in modum nonnulla exempla Tulliana ad Caprum referenda esse aut certum aut probabile sit.

Sed exempla hanc meam sententiam illustrent et comprobent. Dicit Prisc. v. II 163, 19 (lib. V) „In ‚us‘ correptam tertiae declinationis nomina neutra sunt . . . . . ., quod femininum haec pecus pecudis declinatur, teste Capro neutrum: hoc pecus, pecoris.“ Antecedit autem in versu 11 eiusdem paragraphi „penus invenitur et masculinum et neutrum et femininum;“ cuius rei affert grammaticus exempla ex Vergilio, Terentio in Eunucho, Horatio in I epistolarum. Nec vero laudatur Capri nomen hoc loco. Atqui idem exemplum Horatianum occurrit in v. II p. 261, 2, ubi Priscianus (p. 260, 17) se adhibuisse Caprum, ipse pronuntiat „Penus quoque et masculini et feminini et neutri invenitur teste Donato et Capro.“ Cum igitur illo loco Donatiano, qui consentit cum Prisciano in rebus grammaticis, nullum exemplum exstet, certe colligi potest, exemplum illud ex Horatii epistulis citatum a Capro derivandum esse; nisi quis Donati libros ampliores quondam quam nunc feruntur, fuisse dicit, quod tamen non esse cur statueretur Keilius recte vidit cf. vol. IV praef. p. XXXVI „neque apud eos . . . . . quidquam inveni, unde concludi posset, illos Donati librum vel pleniorem, quam nunc est, vel aliter atque in optimis codicibus scriptus est, dispositum legisse.“ Qua de causa valde probabile immo certum videtur, Priscianum non solum p. 163, 22, ubi nominatim Caprum affert, sed etiam in antecedentibus, ubi illius mentionem non fecit, et in rebus grammaticis et exemplis afferendis eius libros usurpasse. Itaque haec exempla Tulliana, quae prope eos locos, ubi Capri scripta adhibita sunt, exstare supra indicavi, magna cum probabilitate ad eundem fontem spectant. — Huc accedit — atque id summi momenti est — quod libri V—VII ap. Priscianum doctrina Capriana abundant.

Similiter ac supra apud Priscianum ad Capri doctrinam referre nobis licet exempla, comparantibus inter se locos, qui repetuntur[1]) a Prisciano et in iisdem libris et in aliis. Saepius enim altero loco appellat auctorem genuinum, quem altero silentio praeteriit. Convertas mentem in Prisc. lib. VI § 47 v. II p. 235, 9. Grammaticus de vocabulis ‚memor et immemor‘ disserens, auctorem non appellat, cui debeat illa et exempla ad confirmandum

---

[1]) Persaepe et in rebus grammaticis et in exemplis repetitionibus Priscianus utitur, ut ipse identidem praedicat cf. v. II p. 543, 20 „Et supra dicta omnia auctoritate veterum comprobantur, sicut iam superius ostendimus, rursusque referamus in memoriam.“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

praeceptum allata. Iam respice lib. VII § 78 p. 354, 8 sq., invenies auctorem, quo usus est illo loco Priscianus; ibi enim eandem rem tractans Caprum nominat: „in quo testis est Caper . . ostendit enim, Caecilium in epiclero sic protulisse.“ Idem exemplum in p. 235, 12, ubi Capri nomen non afferri supra commemoravi. — Simile quiddam usu venit in libri IV § 21 II p. 129, 7 „et testis eius Caper, qui diversorum de huiuscemodi nominibus ponit usus auctorum etc.,“ et in libri VII § 61 p. 337, 19, ubi, quamvis Priscianus Caprum nominatim non afferat, omnia exempla referri possint certo ad eum. Qua de causa cum hoc loco haud dubie Priscianus vestigia Capri presserit, insequentia exempla ad eundem fontem pertinere putanda sunt, praesertim cum multa inveniantur in libris V et VI et VII[1]), quae deprompsit Priscianus ex Capro. — Refer igitur ad Caprum exempla Tulliana: Prisc. p. 339, 4 Cic. de signis. Prisc. p. 339, 5 Idem in frumentaria. Prisc. p. 339, 20 Cic. pro Murena.

Pleraque apud Priscianum in libro V fluxisse ex Capro affirmat Priscianus p. 171, 14 „Supra dictorum tamen nominum usus et apud Caprum et apud Probum de dubiis generibus invenis.“ Concinunt autem miro quodam modo inter se in rebus grammaticis liber V et VI, id quod modo in adnotatione leviter indicavi. Interdum ita inter se consonant libri, ut eadem exempla in libro VI quae in libro V tibi occurrant; saepius altero loco continentur exempla, quae desiderantur altero alterius libri. Haec autem exempla summa cum probabilitate ad eundem fontem referri ac res grammaticas, quae inter se consonant, cum per se verisimile est tum hac re comprobatur: Nulla exempla ap. Prisc. p. 146, 16 exstant, sed occurrunt tibi nonnulla ap. Prisc. p. 212, 5, quo loco grammaticus de iisdem rebus grammaticis disserens, se adhibuisse Caprum verbis „teste Capro“ profitetur. Hoc autem loco non solum res grammaticas ex Capro ductas esse, sed etiam exempla, quae in p. 146, 16 desiderantur, dilucide apparet ex verbis Prisciani „apud quem exempla invenis.“ (p. 212, 5 cf. 212, 15 „quod Caper ostendit de dubiis generibus.“) Quibus in libris Prisciani haec Tulliana ad Caprum refero: Prisc. lib. V p. 181, 12 Cicero pro M. Marcello. Prisc. lib. VI p. 226, 4 idem exemplum. — Prisc. lib. V p. 182, 3 Cicero in Protagora. Prisc. lib. VI p. 226, 9 idem exemplum. — Prisc. lib. V p. 146, 8 hic et haec homo. Prisc. lib. VI p. 206, 14 homo hominis, quod est commune, Cicero pro Cluentio. — Prisc. lib. V p. 147, 4 Anio. Prisc. lib. VI 208, 7 Cicero pro Cornelio in I. — Prisc. lib. VI p. 219, 11 ‚Aris‘ Cic. pro Scauro; lib. VI p. 219, 12 „idem in eadem.“ Prisc. lib. VII p. 317, 19 in v. 21 idem exemplum Scaurianum, quod in p. 219, 12. Praeterea in iis, quae subsequuntur apud Priscianum in p. 318, 3, cf. Capri ‚de orthographia‘ librum, gramm. lat. vol. VII p. 100, 1.

Iam vero ut ad eos locos propius accedam, ubi Caper una cum aliis grammaticis laudatur (cf. Prisc. p. 171, 14; Prisc. p. 393, 9), difficillimum est diiudicare, quid Capro, quid aliis grammaticis tribuendum sit. Quae disputatio eo implicatior est, quod Caper auctoribus Plinio et Probo usus est, Priscianus autem non inspexit Plinii et Probi libros, sed per Caprum ex illis hausit. Ita fit, ut saepius, si primo obtutu Caprianae doctrinae vestigia invenisse tibi videris, accuratius inquirens et aliorum grammaticorum — quos iisdem fontibus usos esse manifestum est — scripta in auxilium vocans, illa exempla Capriana ex Probi et Plinii scriniis deprompta invenias. Quamobrem investigatio fontium quibusdam locis vel multis tam difficilis est, ut assentiaris Osanni verbis, quae facit in commentatione „de Fl. Capro et Agroecio[2]) grammaticis“ p. 11 ad Prisc. lib. V p. 171, 14. —

---

[1]) In illis libris Caper nominatim affertur his locis: Prisc. II p. 163, 22; 188, 22; 204, 6; 212, 5; 260, 18; 264, 16; 322, 2; 171, 14. — Conferas lib. VII Prisc. 339, 17 et lib. VI 264, 7; Prisc. lib. V 163, 4 et lib. VI 268, 16 cf. Caper vol. VII p. 107, 12 adn.; Prisc. lib. VII 338, 3 et lib. VI 248, 15; Prisc. lib. VII 339, 7 et lib. V. 160, 6.

[2]) Gissae 1849 Script. acad. in p. 12 „Videlicet spectat haec Prisciani nota ad omnia ea, quae in antecedentibus de dubio varioque nominum genere et prolixe et erudite exposita sunt; quae exscribere nolui, non quod longiora sunt, neque certo liquet, a quo inde loco Priscianus in singularum vocum recensione Capri et Probi praeceptis usus sit; sed quod quoque loco discerni non potest, quae Capri sint quae Probi etc.“ Quanta difficultate sit in talibus rebus perscrutandis certum iudicium ferre, comprobant

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nec vero fieri potest, quin nonnulla, quae antecedunt verbis „sed et eorum et superiorum omnium usus tam apud Caprum quam Plinium et Probum invenies“ (Prisc. II p. 393, 8) accuratius perscrutantes ad genuinum fontem, fortasse ad Plinium referamus, Diomedis, Servii, Pompei libris in subsidium vocatis: Prisc. II 380, 4; 379, 5 auguror cf. v. 2 „ex his multa antiqui tam activa quam passiva significatione protulisse inveniuntur.“ cf. Serv. ad Aen. VII 273 (Thilo-Hagen) „auguro dicimus secundum Plinium.“ Qua re demonstratur, Plinium de eadem re grammatica disseruisse. Qua de causa fortasse eiusdem fontis Pliniani est exemplum in Prisc. II p. 380 7 Cicero tamen Verrinarum IV, quod confirmat usum dicendi. — Prisc. II p. 379, 11. Pomp. vol. V p. 233, 34 cf. v. 35, ubi Plinius Secundus laudatur. Qua de causa spectat ad eandem originem Plinianam insequens exemplum (ap. Pomp. vol. V p. 234, 5) „Cic. in Pisonem,“ quod exemplum confirmat usum dicendi antea prolatum. Prisc. v. II 393, 14. Diom. v. I 377, 16; in v. 19 ap. Diomedem Plinius laudatur. — Atque etiam alia frusta Pliniana et certe Probiana ex hoc libro expiscari nobis licet, sed satis habemus, quae praecedunt verbis p. 393, 8 „Supra dictorum etc.“ magna ex parte ad Caprum rettulisse, praesertim cum dubium sit, num ea exempla, quae invenis apud Priscianum, desideras apud alios grammaticos, veteribus illis grammaticis debeantur, an Capro, illorum doctrinae ea addenti; satis, inquam, habemus ea, quae praecedunt verbis in p. 393, 8 magna ex parte ad Caprum rettulisse i. e. ad eam aetatem (saec. secundum[1]), qua Ciceronianos codices multo maioris fidei quam hac nostra fuisse per se apparet.

Referre igitur haec Tulliana ad Caprum summa cum probabilitate mihi videor in hac parte apud Priscianum: Prisc. v. II 380, 7 Cicero Verrinarum IV (II 2, 6, 18). Prisc. 381, 7 Cicero pro Roscio cf. Prisc. 568, 2 ubi idem exemplum exstat. Prisc. 381, 14 Cicero pro Murena. Prisc. 383, 1 Cicero ad Nepotem. Prisc. 393, 6 Cicero pro Cluentio. Nunc vero quod Neumannus v. d. (l. l. p. 51) arbitratur nonnullla immista esse a Prisciano aliunde hausta, id haud ita non verisimile est. Nec tamen hoc ei plane assentior, quod quae insunt in Prisc. vol. II p. 390, 7—390, 26, Servio tribuit. Inveniuntur enim, ut Neumannus recte monet, nonnulla eorum verborum, quae Prisc. affert ap. Serv. ad Aen. I 104 et ad Aen. XI 660; sed hoc consensu nihil comprobatur nisi hoc loco uno fonte utrumque eorum usum esse. Is autem fons fortasse Probi liber fuit, quem adhibuit Caper, auctor Prisciani. — Conferas Serv. ad Aen. I 194, ubi Servius de verbis „lavo, tondeo“ disserens, inspexisse se dicit Probum, qua de causa apud Priscianum subsequentia verba ‚praecipitare, bellare, nutrire‘ ad eandem originem fortasse spectant. Sed alia argumenta accedunt. Ad partes voco Donat. vol. IV p. 383, 19, ubi verba tondeo, lavo‘ una cum iisdem verbis ‚adsentior, adulo, auguro‘ afferuntur, quae verba Neumannus iure Capro vel auctoribus illius tribuit. Conferas, quaeso, Pomp. vol. V p. 233, 1 sqq., qui disserens de verbis tondeo, tondeor, lavo, lavor, adulo, adulor etc.‘ discrimen inter verbum activum et passivum statuere studet; quo spectant ap. Serv. ad Aen. I 194 verba „quamquam temptaverit Probus facere differentiam inter activam passivamque significationem.[2]) — In comparationem voces, ut postremum argumentum proponam, Diom. vol. I p. 382, 4 ubi idem exemplum Vergi-

---

etiam disputationes, quae factae sunt de capite XV Charisiano. In hoc capite C. Marschall, ‚De Q. Remmii Palaemonis libris grammaticis‘ diss. Lips. 1887, omnia Remmio Palaemoni tribuit his locis exceptis, quibus Romanus expresse laudatur; imprimis duos fontes in hoc capite confluxisse Schottmüller l. l. p. 20 sqq. contendit, praeterea tertium auctorem statuendum esse Morawsky l. l. p. 339 sqq. arbitratur et sagacissime disserere studet F. Bölte: Fleckeisen, Jahrbücher 1888, p. 401 sqq., sed ita ut tertius ille auctor apud utrumque eorum diversus sit. Eaedem inter se discrepantes sententiae de ratione, quae inter Charisii capita XV et XVII exstat, produntur. cf. Keil. Gr. Lat. v. I p. XLVII, Schottmüller l. l., Christ. Philolog. XVIII p. 122 sqq., Morawsky l. l., Neumann p. 6 ff. Bölte p. 412 sqq.

[1]) cf. Keilii sententiam de Capri aetate in praef. vol. VII p. 90 „De aetate autem grammatici hoc constat etc.“

[2]) Affert hunc locum Servii una cum l. c. Prisciani iam Keilius in praef. vol. IV p. XIX. Unde apparet etiam Keilium putasse utrumque locum manasse e doctrina Probi Berytii. Antecedunt enim l. c. verba „Servius quoque in commentariis Vergilianis non solum ex iis, quae Probus in Vergilium adnotaverat multa citavit, sed etiam eius libris usus est, quo refero haec, in Aen. I 194 etc.“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

lianum reperitur „bellantur Amazones armis.“ Qua in parte Diomediana Probum adhibitum esse probatur locis: Diom. 381, 13 Plaut. in Pseudulo; Diom. 381, 15 Vergilius (Aen. III 663) cf. Prisc. II p. 471, 7. Hanc autem partem ap. Prisc. e Probi libris grammaticis manasse constat. (cf. gramm. Lat. vol. I praef. Keilii p. LIV). Diom. 383, 5 „ut apud Ennium“ cf. Prisc. 540, 7 „unde Ennius“ cf. Prisc. p. 500, 20 idem exemplum Ennianum, in v. 6 Capri nomen affertur. — Quod viro illi doctissimo denique offensionem praebent ex Vergilio citata (Prisc. II p. 390, 22; 390, 24) exempla, quia in libro XVIII (cf. vol. III 364, 11; 364, 13) repetuntur, „ubi Caper omnino non adhibitus esse videtur,“ etiam alia exempla, quae iure Capro tribuuntur in prioribus libris, iterum nobis occurrunt in libris XVII et XVIII. Nam etiamsi Capri scripta in libris XVII et XVIII non usurpata esse statuendum est — quod vel inde cognoscitur, quia illius nomen nusquam affertur — tamen non sequitur, ut Priscianus in iis libris non usus sit Probo, non a Capro sed ab aliis grammaticis hanc doctrinam expetens, id quod extrema oratione demonstrare studui. Praeterea nonnulla, quae in Prisciani memoria haerebant, quippe qui in prioribus libris Capro enixe operam dedisset, etiam in illos libros (XVII et XVIII) irrepsisse videntur; ac praecipue Vergiliana, quae apud grammaticos erant tritissima.

Iam vero mira quaedam consensio in hoc libro exstat inter Priscianum et Arusianum Messium. De quo consensu cum fere nihil commemoratum inveniam, pauca verba faciam, praesertim cum contingat, ut nonnulla exempla Tulliana ad hunc consensum referamus. (cf. p. 13 sqq.) Atque haec communia ex Prisciani libro VIII et Arusiani ‚elocutionum exemplis‘ enucleata collegi: Prisc. II 378, 25 ‚praestolari‘ Ter. Eun. V (5, 5) Arus. vol. VII 499, 16. Prisc. II 379, 1 Cic. in Cat. I (9, 24) Arus. 499, 15. Prisc. II 388, 20 ‚medicor‘ Verg. Georg. II 135 Arus. 492, 5. Prisc. II 389, 2 Verg. Aen. VII 756 sq. Arus. 492, 8. Prisc. II 389, 5 Ter. Phorm. (V 4, 3) Arus. 492, 12. Prisc. II 375, 8 ‚pascor.‘ Verg. Georg. III 314 Arus. 497, 30. Prisc. II 378, 16 ‚ardebat.‘ Verg. Buc. (2, 1) Arus. 449, 13. Certe etiam alia quaedam vestigia Arusiana in hoc libro reperiri possunt, sed haec pauca sufficiant; quandoquidem haud dubie ex his exemplis intellegitur, non casu hunc concentum factum esse, sed communi quadam cognatione inter se coniunctos esse Arusianum et Priscianum. Nec enim Keilii sententiae assentiar, cum summam rerum leviter tangens dixit [1]) in vol. VII p. 448, Prisciani exempla petita esse ex Arusiani quadriga. Sed de hac re infra multo planius disseram.

Revertamur hoc excursu facto ad Caprum eiusque fontes et inquiramus, quae exempla atque imprimis Tulliana in ceteris Prisciani libris ad Caprum vel Probum et Plinium referri possint. Ac refero ad eam originem eis locis, ubi Capri nomen laudatur, haec: Prisc. vol. II p. 436, 7 teste Capro. Antecedunt exempla p. 435, 20 Cic. pro Cornelio; p. 435, 24 Cic. pro Cornelio in I.— Prisc. II 490, 9 quod Probus et Caper comprobant, usu quoque adiuvante. cf. Caper VII 109, 7 „deletum, non delitum quod quis delevit.“ Subsequuntur exempla: Cicero in Verrem de praetura urbana; p. 490, 12 Cicero epistularum ad Calvum primo; p. 490, 13 Cic. in IV Verrinarum cf. Diom. 375, 27 sq.—Prisc. II 491, 14 sorbeo vel etiam sorbo, ut Probo placet, sorpsi vel sorbui cf. Caper VII 94, 14, ubi item Lucanus citatur, qua re denuo clare demonstratur, Priscianum ex Probo per Caprum hausisse. Subsequuntur ap. Prisc. l. c. exempla: p. 491, 17 Cic. in II Philippicarum, p. 491, 18 Idem pro Murena. — Prisc. II 539, 1 „sarcio sarsi, farcio farsi, raucio rausi, fulcio fulsi, quod et Probo placet, quamvis alii differentiae causa ‚fulxi‘ posuerunt.“ Subsequuntur exempla: Prisc. p. 539, 3 Cic. in I de oratore. Prisc. p. 539, 4 Cic. in I de oratore. Prisc. p. 539, 5 Idem pro Cornelio libro II. Prisc. p. 539, 6 idem in II Tusculanarum. — Nec minus referri possunt ad genuinos fontes exempla a Prisciano laudata, aliorum grammaticorum libris valde auxilio vocatis. Hoc enim apparet imprimis ex consensu, qui exstat

---

[1]) „sed exemplis ab Arusiano compositis usus est Priscianus, qui in duodevicesimo libro institutionum grammaticarum saepius elocutiones verborum et nominum iisdem exemplis, quae ille adscripserat, confirmatas posuit.“ Haec autem exempla, quae laudata vides in Prisc. lib. VIII, repetuntur a Prisciano in lib. XVIII qua de causa Keilii verba pertinent non minus ad librum VIII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

inter Priscianum et Diomedem et Charisium, quos iisdem auctoribus Probo et Plinio usos esse constat. Affert enim Char., vol. I p. 100, 23, „et antistes habet antistitam, ut Varro divinarum IV et Cicero in Verrem IV etc.“ Invenis autem idem exemplum Verrinum apud Priscianum II p. 157, 11 in eadem re grammatica tractanda, quamvis Priscianus — quod saepius vel saepissime fieri solet — in exemplo laudando multo plura verba reddat quam Charisius. Confirmatur autem haec sententia, qua utrumque eorum eandem doctrinam redolere statuimus, etiam ea re, quod paulo ante adhibuit Charisius Plinium. Nam idem exemplum Vergilianum, quod occurrit Char. p. 100, 12 „Hircanisque Arabisque parant,“ repetitur Char. p. 123, 9, ubi nominatim affert Charisius Plinium, in v. 10 „ubi Plinius etc.“ Idem autem exemplum invenis ap. Prisc. p. 217, 5, ubi exstat etiam in v. 6 exemplum ex Vergilio „Omnis Arabs,“ quod occurrit nobis ap. Char. 123, 16. Ex quibus omnibus colligitur et Charisium et Priscianum communi vinculo Pliniano arte coniunctos esse. Cum vero demonstraverimus Plinium ap. Charisium (vol I p. 100) adhibitum esse, ut exemplum illud Tullianum ex oratione in Verrem ad eundem spectaret, sequitur, ut idem exemplum apud Priscianum ad eundem fontem pertineat; quo fonte usus est Priscianus per Caprum.

Hac inter utrumque consensione paulo accuratius illustrata et ad Plinium revocata, haec exempla ad illum refero, praesertim cum hic et illic Plinii auctoritas nominatim pronuntietur. Prisc. vol. II p. 355, 9 Cicero de suppliciis Char. 138, 10, ubi in v. 12 Plinius laudatur. Fortasse ad eundem fontem Plinianum vel Caprianum spectat Prisc. 355, 17 Cicero ad Herennium in III cf. p. 354, 9, ubi Caper laudatur. — Prisc. II p. 267, 14 Cicero in II de oratore Char. p. 128, 28 idem exemplum; in v. 30 Plinius laudatur. cf. Char. 95, 27 idem exemplum[1]); ibidem in v. 29 „Martialis elegantissime loquitur etc.“; cf. Char. 128, 21. Idem exemplum l. l. ap. Prisc. p. 267, 17. Itaque fortasse eodem spectat Prisc. 267, 5 Cicero in chorographia. Cf. Capri librum, vol. VII p. 109, 15. — Prisc. II p. 350, 12 Terent. in Phorm. Char. 125, 3 idem exempl.; in eodem versu Plinius laudatur. Subsequuntur ap. Priscianum: p. 350, 15 Cic. de signis; p. 350, 16 Idem in eodem; p. 350, 17 Idem pro Caecina. — Prisc. II p. 220, 15 eaedem res grammaticae h. l. tractantur atque a Charisio I p. 65, 1. Affert autem Priscianus h. l. ad praecepta confirmanda haec exempla Tulliana: Prisc. 220, 18 Cicero in libro Verrinarum, qui est de suppliciis (II 5. 7, 15). Prisc. 220, 20 Cicero in frumentaria (II 3. 22, 55). Prisc. 221, 2 Idem de suppliciis (II 5. 42, 108). Prisc. 221, 3 Idem pro Murena. Prisc. p. 221, 3 Idem pro Fundanio. — Iterum perlustrantibus locos, qui apud Priscianum, Charisium, alios grammaticos ad eundem fontem referuntur, certe mirandum est, quod crebrius in aliorum grammaticorum libris nullum vestigium exemplorum reperitur, quae multa nobis obvia sunt apud Priscianum; qua de causa fortasse dixerit quispiam, ipsius Prisciani operae ac studio ea exempla deberi. At notum est, grammaticos, alios plura alios pauciora exempla, quae in fontibus exstabant, omisisse. Atque quamvis illius rei supra mentionem fecerim, tamen pro gravitate sua res digna videtur, ad quam firmandam aliquot exempla illustria afferam.

Concinunt enim inter se Priscianus (lib. VI § 59 p. 243, 12; lib. VII p. 349, 13) et Pomp. comment. vol. V p. 175, 30; ubi quae uterque de voce ‚fames‘ commemorat, ea ad Caprum spectant, cum Pompeius in extrema parte adnotet „habes hoc in Capro de lingua latina non de dubiis generibus;“ praeterea Priscianum persaepe in libro VI et V Capri doctrina usum esse identidem indicavi. His autem locis magnum numerum exemplorum Priscianus affert, quae frustra requiris apud Pompeium, ut iure suspiceris Priscianum sua ipsius opera haec exempla adiecisse. Sed attentius hoc respice, quod Pompeius l. l. p. 175, 19 dicit „et inveniuntur exempla plurima, coacervata sunt ista exempla in ipso loco, ubi haec ratio reddita est de fame“: iam manifestum erit, Pompeium oculis vidisse exempla apud Caprum, quae ipse omisit, Priscianus addidit. Exempla autem hoc loco apud Caprum

---

[1]) cf. Keilii adnot. ad. h. l. Varro] Cicero Fabricius. lacunam, qua Varronis exemplum a Charisio l. c. servatum cum nomine Ciceronis haustum est indicavi. errorem propagavit Prob. de nom. p. 224 ed. Vindob.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

exstitisse demonstratur etiam loco Sergii explanat. in Donatum lib. I, vol. IV p. 496, 8, qui, de eadem re grammatica breviore disputatione quam Pompeius et Priscianus disserens, pronuntiat „habemus exemplum declinationis antiquae in Capro: ipse ponit se legisse ‚famei‘;“ cf. Prisc. II p. 243, 12 „et fames, famei dicebant veteres.“ Priscianum vero ipsum quoque non omnia attulisse, quae invenit in fontibus dilucidissime apparet ex Prisc. II p. 393, 10 „passivas quoque pro activis vel neutralibus vocibus ex contrario idem antiquissimi proferebant . . . . . , quorum auctores apud Caprum legant, qui eos scire desiderant.“

Conferas quaeso inter se Prisc. II 199, 14 sq. Prisc. II 357, 3 et Pomp. V 197, 13—19 et Char. I 53, 17, ubi consensum exstare unusquisque concedet. Dicit Pompeius l. l. „habes exempla innumerabilia et apud Plautum et apud antiquos et aliqua ex parte apud Ciceronem;“ certe sequitur, ut multa exempla ex his scriptoribus ei fontem inspicienti ante oculos posita fuerint. Affert autem Pompeius unum exemplum ex Plauto, unum ex Cicerone, aliis scriptoribus neglectis. Plura profert Charisius l. l., in horum numero idem exemplum Tullianum, idem Plautinum ac Pompeius. Multo plura exempla ex Plauto, Cicerone, ex aliis velut ex Valerio in Phormione, ex Caecilio, ex Pomponio, ex Laberio etc. Priscianus allegat. Vides vero idem exemplum ex Ciceronis Verrinis allatum idemque Plautinum quod attulerunt Pompeius et Charisius. Unde intellegimus aliter alios veterum doctrinam in libros suos transtulisse. Haec igitur exempla, quae omnes tres communia praebent ad eundem fontem certissime spectant: Plautus in Amphitrione, Cicero in Verrinis II 2. 52, 128; II 4. 18, 38. Probabiliter ad eundem pertinent, quae prope exstant ap. Prisc. p. 357, 4 Cicero in libro de signis II 4. 12, 28; Prisc. p. 357, 6 in eodem libro II 4. 17, 37; Prisc. 357, 6 idem ad Herennium. Nec minus luculentum exemplum habemus inter se comparantes Probi Catholica vol. IV 39, 26 et Prisc. II p. 469, 13; 538, 12, ubi ille se Probum adhibuisse confitetur. Exempla autem, quae invenis apud Prisc., eadem desideras apud Probum, quem dicunt iuniorem. Sed inspicias Diomedis vol. I p. 369, 18: invenies idem exemplum ‚Livius in Odissia‘ quod duobus illis locis ap. Priscianum II p. 469, 16; 538, 12 nobis occurrit; efficitur Probum, Diomedem, Priscianum ex uno eodemque fonte hausisse, in libros autem Probi nullum exemplum transiisse, Diomedem nonnulla recepisse, etiam plura Priscianum.

Certe — idque maxime urgeo, ut quod ad universam rationem, quam in his quaestionibus amplexus sum, pertineat recte aestimandam — negari non potest, neque apud Priscianum neque apud ullum ceterorum grammaticorum doctrinam vetustissimorum plenam et integram tradi. Nam quoniam recentiores grammatici res grammaticas plerumque vel semper non ex ipsis genuinis fontibus deprompserunt, sed alii per alios grammaticos, luce clarius est, doctrinam illam antiquam per manus traditam magnopere commutatam esse; alii nonnulla decurtabant et delebant, alii etiam aliis grammaticis atque recentioribus usi, vetustiorem doctrinam additamentis augebant et miscebant. Quam ob rem non equidem contendo, certissimum et exploratum esse, exempla apud recentiores ac praecipue apud Priscianum eis locis inventa, ubi manifestum est, unum vel compluria exempla veteribus grammaticis desumpta esse, omnia ad illum fontem antiquum referenda esse, sed hoc unum contendo, id quodammodo esse probabile et verisimile. Ac ne quis contra dicat, tum nostram disputationem otiosam et inutilem videri, quippe quae vanis contineatur coniecturis: hoc eum reputare velim, nobis contingere, — ut supra contigit — ut nonnulla exempla ad suam originem, certissimis argumentis usi, revocare possimus, unde etiam ceteris aliquid probabilitatis accedere nemo negabit.

Refero nunc ad Probum[1]) auctorem haec exempla apud Diomedem et Priscianum, ratione habita imprimis Tullianorum. Prisc. p. 470, 21 ‚neco‘ cf. Diom. 366, 4 sq.; Char. 243, 10; in v. 12 ap. Prisc. Probus et Charisius et Diomedes laudantur, nullum exemplum praebet uterque eorum, multa Priscianus; in v. 18 Cicero Tusculanarum I. — Prisc. 471, 3 Plautus in Pseudulo Diom. 381, 13. — Prisc. 471, 8 Verg. Aen. III 663 Diom. 381, 15. — Prisc.

---

[1]) De Probo, Diomedis et Prisciani auctore, docte et subtiliter disseruit Keil imprimis in praef. vol. I p. LII sqq. in praef. vol. IV p. XVIII sq., p. XXV sq., in praef. vol. VII p. 89 sq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

489, 1 Verg. in Aen. XII Diom. 373, 18. — Prisc. 489, 3 Cassius ad Tiberium Diom. 373, 20. Subsequuntur apud Prisc. l. l. exempla Tulliana: 489, 12 Cicero de imperio; p. 489, 13 Idem in I rhetoricon; p. 489, 15 Idem pro Caelio. Conferas p. 490, 9 ap. Prisc., ubi Caper et Probus laudantur, ut illa tria Tulliana exempla, Caprianis vel Probianis testimoniis inclusa, probabile sit ad eandem originem spectare. — Prisc. p. 490, 12 cf. p. 490, 9 „quod Caper et Probus comprobant, usu quoque adiuvante." Cicero epistularum ad Calvum primo: „Tuli moleste, quod litterae delitae mihi a te redditae sunt." Diom. 376, 1 Varro in praetorina: „delitae litterae." Sed hoc exemplum Varroni denegandum est et Ciceroni vindicandum. Verisimile est ap. Diom. legendum esse: Cicero ad filium ‚ceris delitis,' idem ad Calvum ‚delitae litterae,' alibi ad uxorem ‚prima epistula videtur in via delita' cf. adn. ad h. l. Eiusdem fortasse fontis est exemplum ap. Prisc. 490, 7 Cicero in Verrem (II 1. 21, 56) et 490, 13 Cic. in IV Verrinarum (2. 42, 104) cf. v. 9 ubi Caper et Probus nominantur. — Prisc. 494, 14 Naevius cf. Prisc. p. 541, 20 idem exemplum, ubi verba antecedunt „sic enim Probus de dubio perfecto tractans ostendit Naevium protulisse." Qua de causa eandem originem ea exempla redolere videntur, quae citata vides ap. Prisc. II 495, 14 Cicero in secundo de oratore. Prisc. p. 495, 17 Cicero in eodem. Prisc. 495, 18 idem in Verrem de signis. Prisc. 495, 19 idem in IV ad Herennium; Diom. 374, 3 idem exempl. Naevianum ac Prisc. p. 494, 14. — Prisc. 529, 5 Sallustius in I historiarum; Probus laudatur. Diom. 373, 23, in v. 24 idem exemplum Sallustianum. — Prisc. 540, 18 Verg. in II georgicon Diom. 374, 7 idem exemplum. Subsequitur ap. Diom. ‚Cic. pro Milone.' — Prisc. 401, 5; 500, 20; 540, 7 idem exemplum Ennianum cf. Diom. 383, 5 idem exemplum; antecedunt ap. Diom. 382, 26 Cicero de gloria et 383, 1 in paradoxis Stoicorum apud eundem. — Prisc. 512, 1 Varro in Laterensi Diom. 368, 10 idem exemplum; subsequuntur ap. Diom. verba „sed Plinio displicet." Apud Prisc. 513, 7 Probus et Caper et Pollio et Plinio laudantur. — Prisc. II 509, 15, in v. 19 Terentius in Hecyra; Diom. 368, 3 idem exempl.; in v. 21 ap. Prisc. exstat „teste Capro." In v. 22 ap. Diom. exemplum Tullianum exstat. — Prisc. 519, 25 Verg. Aen. I 480 Diom. 377, 23. Subsequitur ap. Prisc. p. 520, 2 Cicero pro Cluentio, quod repetitur ap. Prisc. p. 522, 24. Praeterea conferas Prisc. 520, 21 Varro rerum rusticarum I Diom. 376, 8 idem exemplum, ut multa in p. 520 ap. Prisc. ex eodem fonte fluxisse videantur, ad quem exemplum illud „pro Cluentio" pertinere putaverim. — Prisc. 525, 3 Aemilius Macer in XVI annalium Diom. 369, 15. — Prisc. 527, 23 Sallustius in Iugurthino Diom. 375, 15. Antecedit ap. Prisc. in v. 22 Cicero pro Plancio. Prisc. 538, 1 sqq. Diom. 369, 16 sqq. Prisc. 538, 11 Livius Andr. Odiss. Diom. 369, 19 idem exemplnm. Invenitur ap. Prisc. in eadem hac parte, qua de voce ‚nexo etc.' agitur, exemplum ‚Cic. in II de oratore.' Consensum inter Diomedem et Priscianum — et hoc loco certissime — ad eundem fontem referendum esse, comprobatur loco ap. Prisc. 469, 13 „nexo quoque nexas vel nexis, ut Probo placet, nexui." — Prisc. 538, 29 Pomponius ad Thraseam Diom. 371, 18; in v. 2 p. 539 ap. Prisc. „quod et Probo placet, quamvis alii differentiae causa ‚fulxi' posuerunt." Subsequuntur statim quattuor exempla Tulliana, quae ad eundem fontem pertinere supra indicavi. Quibus prolatis haud ita pauca exempla referri posse ad Caprum vel Probum vel Plinium cognovimus, et certe nonnulla alia vestigia Capriana in his libris Prisciani et insequentibus latent, sed vereor ne disputatione longiore opus sit, quam quae hoc loco institui possit.

Iam Priscianum in illis libris etiam aliis auctoribus usum esse velut Aruntio Celso, Caesellio Vindice, Nonio, Gellio, Donato, Probo (qui scripsit instituta artium et catholicon libros IV cf. Gramm. Lat. vol. IV; cf. Prisc. II 218, 22; 283, 7) ex ipsius verbis apparet. Nec vero arbitror multa Tulliana ex illorum libris ad Priscianum manasse; immo non multo saepius eos a Prisciano usurpatos esse contenderim quam eis locis, ubi nominatim appellantur. Cuius rei unum exemplum afferre in animo habeo: Cf. Prisc. II p. 229, 9 Pomp. V. 187, 10. Dicit Priscianus „sic etiam Iuppiter Iuppiteris et Iuppitris, ut Caesellio Vindici placet, debuit declinari." Nec vero puto insequentia exempla ap. Prisc. ex eodem fonte ducta esse. Pronuntiat enim Pompeius V 187, 10 de iisdem rebus grammaticis disserens, se adhibuisse Caprum „hic Iuppiter et huius Iovis, apud antiquos libros invenimus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

plenas declinationes, hic Iuppiter huius Iuppitris, huic Iuppitri. legimus in Capro hic Iovis huius Iovis.“ cf. Prisc. p. 229, 10 „nam ‚Iovis‘ nominativo quoque casu invenitur.“ Itaque e Caesellio ea sola verba a Prisciano videntur deprompta esse, quae se mutuatum esse expresse confitetur, subsequentia autem inde ‚nam Iovis‘ iterum deberi Capro, quem saepissime in hoc sexto libro ad partes vocatum esse, identidem commemoravi. At etiam fieri potuit, ut Priscianus omnia h. l. Capro depromeret, qui Caesellii Vindicis doctrina usus, eiusdem nomen in libris suis laudavit, unde et praeceptum grammaticum et nomen Caesellii laudatum in sua scripta transtulit Priscianus.

Cap. III. Consensum inter Priscianum et Arusianum[1]) exstare supra vidimus, nam mirum in modum inter se similia sunt ‚lla exempla, quae ex Prisciani libro VIII et Arusiani ‚quadriga‘ attulimus. Atque omnia fere ea exempla a grammatico in libro XVIII repetuntur; praeterea autem tam saepe consensio etiam inter alia exempla ab utroque citata apparet, ut intellegere nequeas, quo iure Christius[2]) contenderit, exempla in libris XVII et XVIII Prisciani unius studio tribuenda esse. Quod eo magis mirum est, quod saepius magna series exemplorum, interdum ad verbum citatorum, cum Prisciano consonat. Sed colligamus exempla, ubi inter se consentiunt Arusianus et Priscianus, atque ita, ut denuo eorum exemplorum rationem habeamus, quae Priscianus iam in antecedentibus libris commemoravit, et indicemus, quae discrepantiae inter utrumque eorum his locis inveniantur. Prisc. lib. XVIII vol. III p. 273, 4 ‚medicari‘ Verg. georg. II 135 Arus. vol. VII p. 492, 5 Prisc. 273, 7 Verg. in I georg. Hoc exemplum deest ap. Arus. Prisc.* 273, 9 Ter. in Andr. (V 1, 12) Arus. 492, 6. Prisc.* p. 273, 11 ‚mederi‘ Ter. in Phorm. Arus. 492, 12; Prisc. codd. ‚advorsae sient, paulo‘ cum codd. Ter., Arus. ‚adversae fient, paulo.‘ — Prisc. p. 273, 15 ‚moderari‘ Sall. in Catilinario Arus. 494, 3. Prisc. 273, 17 Lucanus in X; hoc exemplum deesse ap. Arus. consentaneum est. — Prisc. p. 274, 10 ‚praestolari‘ Ter. in Eun. (V 5, 5) Arus.† 499, 16. Prisc. 274, 12 Cic. in I invectivarum Arus. 499, 15; cf. Donat. comment. ad Ter. Eun. V 5. ubi in exemplo Tulliano eadem verba ex Ciceronis oratione in Cat. citantur, quae ap. Prisc. — Prisc.* p. 285, 20 ‚genus‘ Verg. in Aen. V (285) Arus. 476, 24; Prisc.* 286, 3 Aen. VIII (114) Arus. 476, 25; Prisc. 286, 5 Sallustius in Catilinario, deest ap. Arus. — Prisc. 300, 6 ‚pascor‘ Verg. in II Aen., deest ap. Arus.; Prisc. 300, 8 Verg. in III georgicon Arus. 497, 29; Prisc. 300, 10 idem in eodem Arus. 497, 24; Prisc. 300, 12 idem in bucolico, deest ap. Arus., Arusianus h. l. etiam alia exempla praebet, quae frustra ap. Prisc. requiris. — Prisc. 333, 27 ‚potior‘ Cicero invectivarum II Arus 498, 3; Prisc. 333, 28 Ter. in adelphis Arus. 498, 6, idem exemplum ap. Servium ad Aen. III 278; Prisc.* 334, 2 idem in eodem Arus. 498, 7; Prisc. 334, 4 Sall. in Iugurthino Arus. 498, 4; idem exempl. ap. Servium l. l., Non. p. 498 M. (vol. II p. 134, 29 L. Mueller); poteretur Arus.; potiretur Nonius, Servius, Prisc., codd. Sall., cf. Don. ad Ter. Phorm. V 4, 17. — Prisc. 334, 5 Verg. in Aen. I, deest ap. Arus., cf. Prisc. p. 297, 9 sqq. Apud Arus. exemplum ex Sall. Iug. laudatur, quod deest ap. Prisc.; cf. Prisc. 281, 16, ubi de eodem verbo ‚potiri‘ agitur. Antecedit autem ap. Prisc. constructio verbi

---

[1]) Arusianus Messius — Messius cum Henrico Keilio rectius loquimur quam cum Suringari, Heinsio, aliis ‚Messus‘ — exempla elocutionum ex Vergilio, Sallustio, Terentio, Cicerone collegit, qua de causa Cassiodorus de instit. div. (tom. II cap. XV p. 517 B) huic scripto nomen Quadrigae apposuit. Fuit hic grammaticus vel rhetoricus non ante saeculum quartum; nam duo exempla ex Aurelio Symmacho attulit cf. VII p. 458, 11; p. 489, 28 „Symmachus ad Theodosium imperatorem“), cuius aequalis erat (cf. Keilii praef. p. 447 sq. vol. VII). Hunc autem librum A. Maius in Frontonis editione II. p. 487 Frontoni tribuit, rectius Niebuhr in edit. reliquiarum Frontonis Arusiano. Suringar (hist. crit. Scholl. latt. vol. II p. 202) Arusianum in numero eorum habet, qui Vergilium quondam explicabant, Burmannus gregi eorum tribuit, qui explicabant Terentium aut Ciceronem aut Sallustium. Sententiae neutri assentiri possum, nam certa argumenta desunt; certe ex iis, quae tradita sunt. id unum colligere nobis licet, Arusianum in iis numerari, qui sermonem Latinum praeceptaque grammatica exemplis ex scriptorum classicorum libris collectis confirmabant.

[2]) Philol. XVIII p. 141 „Wie wenig Beispiele aus der alten Litteratur aber Priscian selbst gesammelt hat und wie sehr er auch in einem beschränkten Kreis von Schriftstellern der Schule befangen gewesen, zeigen deutlich die zwei letzten Bücher de constructione (lib. XVII et XVIII) und die kleinern Schriften, bei denen er kein von frühern gelehrten Grammatikern aufgeschichtetes Material vorfand, sondern sich die nötigen Belege selbst zusammenstellen musste.“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

‚auscultare,‘ ad quam confirmandam Priscianus alio exemplo Terentiano utitur quam Arus. 457, 1, ubi de eodem verbo disserit; cf. Prisc. 281, 14 additamentum „quod etiam Donati commentum approbat.“ — Prisc.* p. 320, 14 ‚abutor‘ Cic. primo invectivarum Arus. 451, 1; Prisc. 320, 16 Sall. in Cat. Arus. † 451, 2; exemplum Ter. Andr. prol. v. 5 (Arus. 451, 4) ap. Prisc. non reperitur. — Prisc. 292, 8 Sall. in Cat. ‚propius‘ Arus. 501, 10; Prisc. 292, 9 idem in Iugurthino Arus. 501, 11; ‚agitabunt‘ Arus. cod. opt. Parrhas.; ‚agitabant‘ Prisc. et Sall. codd.; Prisc. p. 292, 10 Verg. georg. I Arus. 501, 12 cf. Diom. vol. I p. 410, 12; Prisc. 292, 12 idem in IV georg. Arus. 501, 13; ‚neu propius‘ Prisc. et Verg. codd., ‚ne propius‘ Arus.; Prisc. 292, 14 idem in III (georg.) Arus. 501, 14. — Prisc. p. 222, 17 ‚indignus‘ Aen. XII Arus. 480, 20; exempl. Sallustianum, quod exstat ap. Arus., non attulit Prisc. — Prisc. 294, 12 ‚in‘ Ter. in Eunucho (V 4, 26) Arus. VII 482, 18; Prisc. 294, 14 idem in Adelphis Arus. VII 482, 21; Prisc. 295, 1 Cic. invect. I, deest ap. Arus., qui alia exempla affert, quae desunt ap. Prisc. — Prisc. 314, 25 ‚oblivisci‘ Aen. II Arus. 495, 25; Prisc. 315, 1 Aen. III deest ap. Arus., qui alia exempla profert. — Prisc. p. 354, 21 ‚praeter‘ Sall. in Cat. Arus. 499, 13; in v. 20 ap. Prisc. verba „de quibus sufficienter Donatus docet.“ Exemplum Tullianum ap. Arus. p. 499, 11 deest ap. Prisc. — Prisc. * 354, 25 ‚tenus‘ Verg. in III Aen. Arus. 512, 1 cf. Nonii lib. comp. 377, 42 M. (vol. I p. 616); Prisc. 355, 1 Verg. georg. III Arus. 512, 3 cf. Non. 377, 40 M.; Prisc. 355, 3 idem in X (Aen.) Arus. 512, 5. Arus. hunc versum prorsus aliter quam Priscianus et Nonius praedicat, qui plane inter se consentiunt; cf. Prisc. 343, 14 sqq., 354, 25 sq. — Prisc. 231, 1 ‚pudet‘ Ter. in Ad., deest ap. Arus.; Prisc. 231, 3 idem in eodem Arus. 500, 7; Arus. 500, 6 Cic. in Verrem actione prima, hoc exemplum non conspicimus ap. Prisc. — Prisc. 277, 8 ‚avertit‘ Verg. Aen. I Arus. 449, 16; Prisc. 277, 10 Cic. Philippicarum V Arus. 449, 18; Prisc. 277, 11 Idem invect. III Arus. 449, 19. — Prisc. 222, 6 ‚cassus‘ Verg. in II Aen. Arus. 489, 8; Prisc. 222, 8 Verg. Aen. undecimo, deest apud Arus. — Prisc. 288, 5 ‚exire‘ Verg. Aen. XI Arus. 470, 4; Prisc. 288, 7 et 288, 10 desunt ap. Arus.; Prisc. 288, 11 Ter. in Andria Arus. 472, 19. — Prisc. 352, 8 Ter. Eun. (II 2, 1) Arus. 498, 29; Prisc. codd. cum Ter. codd. ‚homini homo,‘ Arus. codd. ‚homo homini.‘ — Prisc. 291, 20 ‚proxime‘ Cic. pro. Mil. Arus. 498, 20. Prisc. etiam aliud exemplum profert, alia exempla Arus. cf. Diom. 410, 7 et adnot. Keilii ad h. l. — Prisc. 377, 5 ‚humi‘ Sall. in Iug. Arus. 477, 32, Prisc. cum codd. Sall. ‚gignuntur,‘ Arus. codd. ‚nascuntur.‘ — Prisc.* 315, 9 ‚habitare‘ Verg. in Aen. III Arus. 477, 5; Prisc. 315, 6 Verg. in Aen. VIII, deest ap. Arus., qui aliis exemplis utitur. Prisc. 302, 6; 283, 7 ‚ἀπελθεῖν τὴν ὁδόν‘ Cic. pro Mur. Arus. 481, 27 Prisc., Arus., Serv., ‚ite viam,‘ Cic. codd. ‚inite viam;‘ Prisc. 302, 7 Verg. in IV Aen., deest ap. Arus., qui alia exempla affert, Ad ‚ἀπελθεῖν τῇ ὁδῷ i. e. ire via‘ ap. Prisc. nulla exempla exstant, conferas Arusiani quadrigam, duo exempla tibi occurrent. — Prisc. 273, 21 Verg. in I georg. Arus. 512, 15; etiam alia exempla praebet Arus., quae apud Priscianum non inveniuntur.

Intelloxisti multa exempla inveniri, — et certe multo plura invenire licet — quae libris Arusiani et Prisciani communia sunt. Sed quamvis haec tanta copia exemplorum exstet, quamvis saepius exempla apud utrumque ita citentur, ut verba verbis respondeant, tamen non contenderim, Priscianum exemplorum hortulos Arusiani adisse. Idem enim consensus saepissime apud grammaticos reperitur, qui iisdem fontibus usi sunt, apud Charisium et Diomedem, apud Diomedem, et Donatum, apud Diomedem et Arusianum.

Atque his causis permotus a me impetrare non possum, ut sententiam comprobem, qua Priscianum petisse exempla ex Arusiani quadriga opinantur. Invenimus enim interdum exempla, quae diversa praebet uterque grammaticus, ac non solum Arusianus plura verba facit in exemplis allatis quam Priscianus, sed etiam vice versa cedunt copia verborum Arusiani testimonia Prisciano.[1]) Interdum in exemplis scripturae singulorum verborum inter se discrepant, sed Priscianus plerumque vel semper cum optimis codicibus scriptorum, ex quibus exempla deprompta sunt, consentit. Sed haec leviora sunt, nam iure dixerit quis-

[1]) Exempla, quorum copia verborum Priscianus Arusianum superavit, asteriscis (*) interdum ornavi, ubi Arus. plura verba praebet, cruces † apposui.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

piam, has diversas scripturas neglegentia librariorum ortas esse. Graviora argumenta accedunt. Multis enim locis, ubi Prisc. et Arus. inter se conspirant, quaedam exempla Prisciani frustra requiris apud Arusianum. Haec igitur Priscianus ex Arusiani thesauris repetere non potuit. Quid vero? Arusiani quadriga usus fortasse Priscianus ipse eane addidit? At eadem citata vides apud alios grammaticos, ac nonnunquam coniuncta cum quibusdam exemplis, quae laudaverunt et Priscianus et Arusianus. Luculentum exemplum hoc illustret: Loci inter se concinunt: Prisc. III 55, 5 Verg. Aen. VI Arus. 508, 20; Prisc. 55, 7 Verg. in buc. Arus. 508, 19; Prisc. 55, 15 Verg. Aen. I Arus. 508. 13; Prisc. 55, 9 Verg. Aen. IX Arus. 508, 25. Vides autem apud Arusianum exempla, quae apud Prisc. non exstant, vides praeterea exempla, quae Prisc. solus praebet: Prisc. III 55, 17 Verg. in I Aen. Prisc. III 55, 19 Verg. in XI Aen. Iam noli putare Priscianum suo Marte illa addidisse. Inspice enim Diom. art. gramm. lib. I p. 413, 25: invenies exemplum, quod exstat ap. Prisc. 55, 19. Volve Nonii librum ‚de compendiosa doctrina': occurret p. 169, 19 M. (vol. I p. 248 L. Müller) s. v. ‚super' idem exemplum quod exstat apud Prisc. III 55, 17. Praeterea l. l. Diomedes exempla profert, quae aut apud Priscianum aut apud Arusianum aut apud utrumque eorum inveniuntur. Diom. 413, 15 Verg. Georg. III Arus. 508, 15; Diom. 413, 19 Aen. IV Arus. 508, 18; Prisc. III 55, 5 Arus. 508, 20 Diom. 413, 33 Aen. VI; Prisc. III 55, 15 Arus. 508, 14 Diom. 413, 14 Aen. I. Similis consensio inter tres illos grammaticos etiam aliis locis intellegitur, identidem alii grammatici cum iis consonant: Prisc. III 217, 20 Ter. in Phorm. Arus. VII 475, 6, conferas Diom. 311, 28 „fugitans litium ut Terentius;" Prob. instit. v. IV K. 142, 18 idem exemplum, ibi etiam locus ex Sall. Cat. laudatur „alieni appetens," qui non exstat apud Arus., sed inspice Prisc. 217, 14 „Sallustius in Catilinario." Conferas denique Cled. art., vol. V 72, 12 „Sallustius: alieni appetens, sui profusus," qui accurate in hoc exemplo cum Prisciano conspirat, praeterea laudat Cledonius exemplum „fugitans litium" ex Ter. Phorm. repetitum. — Prisc. III 343, 12 Sall. in Catilinario Arus. 499, 13. Prisc. 354, 21 idem exemplum ex ‚Sall. in Cat.' repetitum, paulo ante Donatus laudatur verbis: „in, super, sub, subter," de quibus sufficienter Donatus laudat." Cf. Cled. vol. V 76, 14 idem exemplum ‚praeter rerum capitalium condemnatis;' in v. 11 Probi nomen citatur verbis „Praepositiones sunt secundum Probum etc." Cf. Cled. 78, 15 „etiam praeter antiqui utriusque casus appellabant praepositionem; inde Sallustius etc." „et praeter vim hanc habet, ut ablativo iungatur, quia sic intellegimus praeter pro sine." cf. Prisc. III 354, 20 „praeter autem quando loco ‚sine' accipitur ablativo coniungitur, ut Sallustius . . . . .; nam alias accusativum sequitur." Cf. Pomp. comment. vol. V p. 278, 23 sqq. — Arus. 512, 1 ‚tenus' Verg. Aen. II (553) deest ap. Prisc. cf. Prisc. III 343, 13; 354, 23 Cled. 77, 11 sqq. cf. Non. 377, 38 M. (vol. I p. 616 L. M.) idem exempl. quod ap. Arus. repetitur. Arus. 512, 2 Aen. III (427) Prisc.* III 354, 25; cf. Non. p. 377, 42; Arus. 512, 2 Cic. pro Deiot. (13, 36), deest ap. Prisc. Arus. 512, 3 Verg. georg. III (53) Prisc. 355, 1 cf. Non. p. 377, 40 Diom. 409, 16[1]). Arus. 512, 5 Aen. X

[1]) Concentus permagnus inter Arusianum et Diomedem oculis nostris praebetur apud Diomedem in libro primo, in ea parte, qua agitur de consensu verborum cum casibus (p. 310, 30). Eadem Charisius tractat in libro quinto, qui inscribitur ‚de idiomatibus,' atque ita, ut omnia exempla, quae apud Diomedem laudantur, ille omittat. cf. huius comment. p. 2. Diom. 312, 22 ‚plenus' Verg. georg. IV (181) Arus. 497, 18; Diom. 312, 23 Aen. V (311) Arus. 497, 16; Diom. 312, 24 Ter. Eun. (I 2, 25) Arus. 497 17. Lacunam in v. 21 p. 312 apud Diomedem Keilius v. d. indicat; cum autem omnia exempla, quae praebet h. l. Diomedes, Arusianus praebeat in quadriga, probabilius mihi esse videtur, versum ex Verg. buc. 2, 20 excidisse, qui reperitur apud Arusianum s. v. ‚dives' quam versum Aen. IX 26, quem deletum esse Keilius in adn. l. l. coniecit. — Diom. 311, 21 Aen. IV (18) Arus. 500, 9; Diom. 311, 28 Ter. Phorm. (IV 3, 18) Arus. 475, 6; Diom. 316, 12 Aen. XII (932) Arus. 513, 31; Diom. 316, 13 Ter. Heaut. (I 1, 81) Arus. 514, 5; Diom. 316, 15 Ter. Andr. (prol. 5) Arus. 451, 4. — Diom. 314, 30 Aen. VII (596) Arus. 491, 22; Diom. 314, 33 Aen. IX (302) Arus. 491, 23; Diom. 314, 35 Cic. Philip. (II 5, 11) Arus. 491, 25; grammaticorum codd. h. l. corrupti sunt. — Diom. 319, 25 Cic. in Cat. (II 9, 19) Arus. VII 498, 3; Diom. 319, 26, lacuna statuitur a Keilio post verba „ut Terentius;" probabile esse puto h. l. excidisse exemplum ‚Ter. Adelph. V 4, 17, patria potitur commoda' aut ‚Ter. Adelph. V 4, 22 hic potitur gaudia' cf. Arus. VII 498, 6. — Inspicias denique Diom. p. 408 sq., ubi de praepositionibus agitur et interdum eadem exempla repetuntur, quae apud Arus. sub. v. ‚tenus, prope, super;' sed in exemplis allatis, quae usum praepositionum ‚in, sub

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(210) Prisc. 355, 3 cf. Non. p. 377, 35 Diom. 409, 18. Arus. 512, 8 Aen. V (603), deest ap. Prisc. Arus. 512, 10 Georg. II (1) Prisc. III 32, 17 cf. 377, 31. Cf. Serv. ad. Aen. III 427; Serv. comment. in Don., Gramm. Lat. vol. IV p. 418, 34; 442, 1 sq. Cled. vol. V 77, 12 sqq.; 78, 26 sq. Pomp. comment. vol. V 272, 31 sq., 275, 12 sqq, 278, 7 sqq. — Iam contenderit quis, Priscianum Arusiani quadriga usum esse, praeterea autem alia ex aliis grammaticis congessisse. Sed mirum est, cur Priscianus crebrius alios libros adeat in exemplis collaudandis, quamvis etiam multa alia exempla exstent apud Arusianum ad easdem res grammaticas confirmandas; atque eo magis mirum, quod saepius his locis paulo ante miram consensionem inter duos illos grammaticos intellegimus. Haec exempla Priscianum certe non neglecturum fuisse puto, si Arusiani liber ei praesto fuisset. Conferas Prisc. v. III p. 307, 5, ubi grammaticus agit de constructione verborum ‚dolere, gaudere, laetari.' Duo exempla, quae Prisc. deprompsit ex Sallustio in versibus 5 et 9, conspicis in turba exemplorum, quae Arus. laudavit 490, 6 et 464, 7; sed exemplum ad verbum ‚gaudere' (Prisc. 307, 7 Verg. in buc.) non exstat apud Arusianum, quamquam in illius libro compluria exempla, quae eandem constructionem verbi ‚gaudere' confirmant, insunt. (cf. Arus. 475, 17). Deinde mirandum est, Priscianum saepe exempla elegisse, ad usum aliquem dicendi statuendum, de quo ipse quoque Arusianus egit, quorum tamen exemplorum apud Arusianum nec vola nec vestigium est. Nec vero omnino apud Arusianum exempla desunt, sed multa exstant; qua de causa intellegere non potes, cur haec exempla Priscianus prorsus neglexerit, si ei Arusiani lexicon inspicere licuit. Conferantur loci, quos permultos infra collegi, ubi Priscianus alia[1]) exempla ad easdem res grammaticas statuendas attulit. Mirum denique est et a Prisciani natura atque indole valde abhorret, ab eo nusquam ne ullam quidem mentionem fieri Arusiani vel illius libri saepissime usurpati.

His de causis multo probabilius est, Priscianum et Arusianum ex antiquiore quodam fonte communi doctrinam hausisse, quam a Prisciano adhibitum esse Arusianum, id quod fusius demonstratum esse puto.

Ac si quaerimus, quibus ex fontibus Priscianus in institutionum grammaticarum libris XIII—XVIII doctrinam hauserit, alios grammaticos atque Arusianum a Prisciano adhibitos esse invenimus. Haud ita pauca una cum multis exemplis ex Homero, Sophocle, Euripide, Thucydide, Xenophonte, Demosthene, aliis scriptoribus repetitis, Herodiano eiusque patri Apollonio Dyscolo, debuit, cuius scripta de pronomine, de praepositione, de coniunctione, imprimis de ordinatione sive constructione dictionum i. e. „*περὶ συντάξεως*" hic grammaticus in suum protulit (cf. Prisc. vol. III p. 18, 13; p. 24, 7 „Apollonius, cuius auctoritatem in omnibus sequendam putavi" p. 107, 1 „in plerisque auctoritatem Apollonii sumus secuti, aliorum quoque sive nostrorum sive Graecorum non intermittentes necessaria." p. 108, 11; p. 124, 10 „Apollonius de constructione, id est *περὶ συντάξεως*." p. 179, 26; p. 205, 25; p. 206, 11; 19; p. 202, 10 „et quondam Trypho, quod Apollonius arguit etc." p. 224, 23; p. 231, 17 „quamvis Apollonius in III *περὶ συντάξεως* ostendit." Nec tamen in hac nostra disputatione eorum grammaticorum ratio habenda est. Iam Prisciani libros

---

pro' confirmant, alter ab altero dissentit, quamvis uterque eorum silvam exemplorum praebeat; qua de causa Diomedes diversis fontibus usus esse videtur; cf. Charis. lib. II, qui in p. 230 sqq. tres auctores laudat, inter quos Palaemonem imprimis auxilio ab eo vocatum esse puto. Consensio etiam in parte, qua de praepositionibus agitur, inter Charisium et Diomedem et Donatum et Dositheum intellegitur, id quod in imo margine Keilius iterum atque iterum notavit.

[1]) Prisc. III 353, 17; 288, 3 ‚adit' Arus. 453, 13; Prisc. 275, 19; 326, 20 ‚queror' Arus. 504, 10; Prisc. 299, 9 ‚abstinet' Arus. 457, 2; Prisc. 280, 1; 295, 23; 298, 9; 328, 3 ‚memini' Arus. 490, 30; cf. Serv. ad Aen. IV 335, vol. I 523, 17 (Thilo-Hagen), qui consentit cum Prisciano; Prisc. 328, 6 ‚admonet' Arus. 455, 20 cf. Non. 242, 3 M., qui s. v. ‚admonere' idem Vergilianum affert, quod Prisc.; Prisc. 356, 17 ‚adsidet' Arus. 452, 10; Prisc. 216, 6 ‚fidens' Arus. 473, 21; Prisc. 281, 7 ‚ausculto' Arus. 457, 1; Prisc. 282, 14 ‚despero' Arus. 467, 28; Prisc. 268, 15 ‚dono' Arus. 463, 16; Prisc. 299, 2 ‚dignus' Arus. 463, 21; Prisc. 313, 10 ‚exit' Arus. 470, 2; Prisc. 333, 17 ‚*ὄνασθαι τοῦδε καὶ τόδε καὶ ἀπὸ τοῦδε*' ‚frui' Arus. v. VII 474, 1; Prisc. 375, 12 ‚indulgeo' Arus. 478, 13; Prisc. 346, 27; 359, 2 ‚induere' Arus. 479, 10 sqq., Prisc. 325, 6 ‚insilire' Arus. 488, 16; Prisc. 332, 14 ‚*ὅμοια τοῖς* et *ὅμοια τῶν*' ‚similis' Arus. 507, 3; Priscian. 293, 14 ‚expers' Arus. 470, 13; Prisc. 218, 3 ‚dives' Arus. 463, 11.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XIII—XVIII mente perlustranti unicuique mirum esse videbitur, grammaticos Plinium, Probum, Caprum, qui a Prisciano in prioribus libris saepissime nominatim afferuntur, in his libris rarissime vel omnino non laudari, quos tamen antea grammaticus fere neglexit, nunc crebrius appellari. Quorum ex numero Donatum saepissime citat, interdum Censorinum. Huic autem grammatico Priscianus multa debet, quae de praepositionibus et de accentibus protulit, id quod ex ipsius Prisciani verbis elucet, cf. Prisc. III 45, 25 „quod Censorinus quoque de accentibus approbat, sic dicens. Atque Censorini liber plenus videtur fuisse exemplorum ex Sallustio et Vergilio prolatorum, nam magna copia eorum subsequitur ap. Prisc. verba „quod Censorinus etc.," quae sine dubio ad eandem originem spectant; in p. 47, 3 haec Censorinus, ut supra dixi, de accentibus tractans." Prisc. III 27, 20 „idque Donatus etiam in secunda arte de praepositione . . . . Censorinus vero plenissime de his docet in libro, quem de accentibus scribit." Sed multo saepius quam Censorino Priscianus Donato usus est, cuius libri grammatici et commentarii in Terentium et Vergilium omnes ei ante oculos videntur fuisse. Conferas locos, ubi grammatici nomen apud Prisc. invenitur, III 27, 20 Donatus etiam in secunda arte de praepositione. III 41, 16 quod et Donatus in secunda arte docet. III 51, 19 teste Donato. III 61, 20 Donatus in commento Aeneidos. III 91, 20 Optime tamen de accentibus earum docuit Donatus. III 266, 16 quod Donatus quidam alii subiunctivi tantummodo putant esse. III 281, 14 quod etiam Donati commentum (in Ter.)[1]) approbat. III 284, 3 Donatus in secunda arte de nomine. III 320, 13 sic enim habent antiqui codices teste Donato commentatore eius (comment. in Ter.). III 354, 20 de quibus sufficienter Donatus docet. Ex his locis apparet Priscianum Donati scripta in posterioribus libris multo saepius adisse quam in iis, qui antecedunt; in libris I—XIII Donati nomen ter (II 7, 16; 260, 17; 596, 10) affertur, decies, ni fallor, inde a libro XIV—XVIII, quinquies in uno libro XVIII.

In p. 13 sqq. perspeximus miram consensionem esse inter Priscianum et Arusianum et Servium et Donatum et Charisium et Diomedem et Nonium[2]); quem concentum revocandum esse (cf. adn. 1 p. 15 sq.) puto ad veterrimos fontes, ad Remmium Palaemonem, doctissimum omnium Romanorum grammaticum, et ad Probum Berytium, quem commentarios ad Terentium et Vergilium conscripsisse[3]) et Lucretio, Horatio, Persio, Sallustio maximopere operam dedisse constat, quem praeterea non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui reliquisse Suetonius auctor est (cf. Suet. de gramm. 24; Gell. Noct. Attic.

---

[1]) Commentarium ad Aen. Ti. Claudii Donati, qui hanc aetatem tulit, prorsus alienum esse a Prisciano, clare demonstratur locis, qui apud Prisc. et Servium laudantur, cum iis, quae praebet hic commentarius, collatis; sine dubio Priscianus et Servius commentarium Aelii Donati intellegunt. Fere idem de commento Aelii Donati ad Terentium facto, quod nunc circumfertur, dicendum est, quamvis quibusdam locis genuina forma a Prisciano, Servio aliis auxilio petito cognosci possit.

[2]) Arusianum et Nonium et Servium non raro inter se consentire identidem cognovimus, qui consensus etiam multo gravius comprobatur his locis: Arus. 502, 3 „propter te, id est tui causa" Verg. Aen. IV (320) Non. 367, 16 M. (v. I p. 597 L. M.) propter significat eius causa" idem exemplum Vergilianum. Arus. 502, 6 ‚propter te, iuxta te' Verg. georg. III (13) Non. 367, 21 ‚propter, iuxta' idem exemplum. Exemplum ex Cic. in Pisonem ab Arusiano laudatum ap. Non. non reperitur. — Arus. 472, 28 emungo Ter. Phorm. (IV 4, 1) Non. 36, 16 (vol. I p. 49); senem Arus. et Non., senes Ter. codd. — Arus. 486, 9 ‚inrito' Verg. Aen. X (644) Non. 31, 28 (I p. 43). Arus. 486, 10 Sall. hist. I Non. 31, 30 (I p. 43). — Apud Non. 58, 22 sqq. tria exempla ex Vergilio petita sunt, quae recte v. d. Keilius ap. Arus. p. 457, 24 restituit. Arus. 452, 28 Verg. Aen. II (393) Non. 244, 17 (I p. 373); Arus. 452, 29 Cic. de rep. I (46, 70) Non. 244, 24 (374); Arus. et Non. ‚si potero' Cic. cod. Vat. et omnes editt. ‚si potuero.' — Arus. 456, 29 Ter. Andr. (Prol. 8) ‚animum attendite' Non. 39, 15 (I p. 53) ‚animo adtendite' Ter. codd. ‚animum advortite'; Don. in Ter. l. c. „advertite legitur et attendite, unde manifestum est, et advertite et attendite non esse plenum nisi addideris animum." Arus. 465, 2 Sall. hist. I Serv. ad Aen. VIII 127 (vol. II 217, 12 Th.-H.); Arus. 490, 3 Sall. hist. II Serv. ad Aen. I 441 (vol. I 144, 15) in v. 14 ap. Serv. Probi nomen laudatur; cf. Serv. ad Aen. XI 338 (II 520, 9). — Arus. 495, 26 Cicero pro Caelio (20, 50) Serv. ad Aen. II 148 (I 244, 3) ‚obliviscor iam iniurias Clodia' codd. Cic. ‚obliviscor iniurias tuas Clodia' Arus. et Servius. Serv. ad Aen. I 203 (I 79, 12) idem exemplum. — Arus. 458, 2 Serv. ad georg. III 348.

[3]) Suringar l. l. vol. I p. 99 sqq.; II p. 14 sqq. H. Keil: M. Valerii Probi in Verg. Buc. et Georg. commentarius. Halle 1848. A. Riese: De commentario Vergiliano, qui M. Valerii Probi dicitur. Bonn 1862. O. Ribbeck: Fleckeisen, Jahrb. für class. Philol. 1863 p. 351 sqq. Proleg. Verg. p. 163.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XV 30, 5. Atque consentaneum est, perpaucos ex numero illo grammaticorum Probi et Palaemonis libros inspexisse, nescio an solos Charisium et Diomedem et Donatum; ceteri, alii ex aliis auctoribus, doctrinam illam antiquam hauriunt, res grammaticas, et observationes et regulas una cum exemplis, inter se miscentes et cum aliorum artium scriptorum praeceptis singula quaedam consociantes. Iam de ratione, quae inter singulos recentiores grammaticos et antiquissimos illos Probum et Palaemonem consistit, coniecturas, quae a probabilitate non abhorrent, facere possum; sed fieri nequit, ut paucis verbis hanc quaestionem absolvamus, qua de causa, ne haec commentatio suum spatium nimis excedat, accuratiorem disputationem de his rebus imprimis de Prisciani institutionum libris XVII et XVIII eorumque fontibus in alia tempora differo.

His expositis rationem subducam et summam rei, quam postremo loco erui, brevi comprehendam: Priscianus Arusianum auctorem non sequitur, id quod primo obtutu videtur exstare, sed mira illa consensio inter utrumque eorum in communes fontes referenda est. Deinde hoc consensu Prisciani cum Arusiano, Diomede, ceteris demonstratur, Priscianum etiam in posterioribus libris, imprimis in libris XVII et XVIII cum veteribus grammaticis Latinis multo magis facere quam adhuc plerisque viris doctis statuere placuit, quin etiam in libris XVII et XVIII fere totam doctrinam, et res grammaticas et exempla, ex scriniis veterum compilasse. Denique de his causis haec tot exempla ex Cicerone Sallustio, Terentio, Horatio, aliis scriptoribus citata multo maiorem vetustatem et auctoritatem prae se ferunt, quam si Prisciani ipsius studio et operae deberentur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XV 30, 5. Atque conser illo grammaticorum Probi et Palaemonis libros inspexi omedem et Donatum; ceteri, alii ex aliis auctoribus, c res grammaticas, et observationes et regulas una cum n aliorum artium scriptorum praeceptis singula quaeda uae inter singulos recentiores grammaticos et antiquissi consistit, coniecturas, quae a probabilitate non abhorre ut paucis verbis hanc quaestionem absolvamus, qua c spatium nimis excedat, accuratiorem disputationem de tutionum libris XVII et XVIII eorumque fontibus in alia

His expositis ratio am postremo loco erui, brevi comprehendam: Priscianus d quod primo obtutu videtur exstare, sed mira illa cons munes fontes referenda est. Deinde hoc consensu Pris ris demonstratur, Priscianum etiam in posterioribus libr I cum veteribus grammaticis Latinis multo magis facere statuere placuit, quin etiam in libris XVII et XVIII f ticas et exempla, ex scriniis veterum compilasse. Deni ex Cicerone Sallustio, Terentio, Horatio, aliis scrip tem et auctoritatem prae se ferunt, quam si Prisciani i

© The Tiffen Company, 2007
TIFFEN Gray Scale
A 1 R 2 G 3 B 4 5 6 M 8 W 9 G 10 11 K 12 13 14 C 15 Y B 17 M 18 19

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf